

est autem sermo de Officialibus Iustitiarum, qui ex officio tenentur providere bono publico, tales enim certum est, nec ope nec consilio posse juvare, nisi velint esse proditoris rei. Deinde certum est, quod non liceat aliis à reo distinctis effodere muros carceris, quia aliis hoc non est mediana ad conservandam suam vitam, sicut est ipsi reo, & ideo huic, non aliis natura hoc indulget, quibus ne quidem muros private domus licet perforare, ne dum custodiam publicam. His positis, in casu dubii,

Negant licere Sorus, Valentia, Navarrus, & alii. Afirmant licere Aragon, Ledesma, Vasq. Salas, Malderus, Lessius, Lugo, qui omnis aliorum probationibus, melius probat ex eo, quia sicut possum reo consulere fugam, quia ipsi licita est fuga, & per consequens possum illi consilium, ut perfringat muros, quia ipse licite hoc facit, ita possum subministrare instrumenta, quia ille licite potest illis uti, nisi mihi ex alio capite, v.g. quia sum custos, sit prohibitum. Probatur paritas exemplo. Si aliquis haberet Jus piscandi ex certo flumine, vel lacu alieno, vel faculari feras in sylva aliena, non possum ego licite illi subministrare reia, hamos, bombardas. Ratione à priori reddit, quia qui solum concurret mediatè ad aliquem actum, qui prout immediatè ab agente est licitus, non potest in ordine ad illum contrahere malitiam, nisi aliunde habeat specialem prohibitionem.

140. Dices. Non est major ratio cur sit prohibitum immediatè cum reo perfodere parietem, & non sit prohibitum subministrare instrumenta. R. Negando paritatem, quia qui subministrat instrumenta, solum concurret mediantè causà cui licitum est perfodere, sicut licet illi ex hac causa dare consilium ut perfodiat. Sic licet mihi gladium subministrare carnifici, ut usum officium exequatur, sed non licet mihi immediatè concurrere cum carnifice, si hoc non est mei officii: sic licet mihi dare funes lictori ut capiat reum, sed mihi non licet immediatè, ne quidem unà cum lictore capere. ratio est, quia immediatè concurrentes læderet sine iure lædendi, sed non qui subministrat instrumenta habenti jus lædendi, quia non determinat illum ad lædendū, sed relinquit in libera illius voluntate, an velit uti iure suo necne. Hinc etiam non liceret mittere famulum ad hoc ut juvet in perforando, quia famulus esset instrumentum animatum, habens obligationem non lædendi immediatè domum publicam.

141. Limitat tamen Card. Lugo hanc Conclusionem dupliciter. Primò, quòd non liceret petere ab artifice, ut faciat clavem ad ulterianam, quā possint portæ aperiri, quia artifex sine

crimine falsi non posset facere talem clavem, sicut delinqueret, qui subscriptionem falsam Principis submitteret, quā possit decipere custodem carceris, ut eum dimitteret.

Limitat II. Ut non habeat locum in delinquente, cujus fuga perniciosa esset, v.g. si esset latro & grassator viarum: ex quo capite etiam non licet jurare hereticum ad fugiendum ex carcere Inquisitionis.

142. Cum doctrina hæcenus tradita ex probabili Theologorum doctrina bene stat, posse tales adjuutores puniri in foro externo, sicut ipse fugiens potest puniri, nempe, ut supra declaratum est, ad absterrendos alios ne juvent. Quod si legislator pœnarum ex rationabili causâ (ut posset) vellet obligare in conscientia, tunc certum est, quòd tales adjuutores peccarent. Sed defecto non constat de tali intentione, & huiusmodi leges statuentes pœnas adjuutoribus, habentur pro merè pœnalisibus.

143. Dubitatur VI. An in Jure constituta sit aliqua pena in effractores carcerum, ut liberent captivos. R. Si in tali effractione vis publica committeretur, supra dictum est, huiusmodi vim publicam gladio puniri. De reliquo pœna est arbitraria, consideratâ personarum conditione, tum effringentis, tum rei liberati, tum Judicis, cujus Jurisdictionis violatur.

Neque audiendi sunt, qui conantur ex l. 1. C. de his qui latrones occultaverint. probare, esse huiusmodi effractorem puniendum penâ illâ, quâ puniendus fuisset ipse incarceratus: nam lex illa loquitur de occultante delinquentes: imò de ipsis latronum receptoribus statuit pœnam arbitrariam. ibi. [Et latrones quisquis sciens susceperit, & eos offerre Judicibus super sedetis, supplicio corporali, aut dispendio facultatum, pro qualitate personæ, & Judicis estimatione plectetur.]



CON-

CONTROVERSIA VI.

Quomodo evitari possit Incarceratio per Salvum Conductum.

SUMMARIUM.

Qua ratione ad evitandam captivam possit impetrari salvo conductus. 144.
Duplex est salvo conductus. Veniendi. & Recedendi. & Jure communi posterior includitur in priore. Vbi quid Jure Bavarico. 145.

Potest Salvo conductus Veniendi concedi absque Recedendi. 146

Salvus conductus veniendi & recedendi dicitur Generalis. & quis ejus effectus. 147. & seq.
Quid favoris contineat Salvo conductus specialis. 149.

A quonam concedi possit Salvo conductus. 150.
An notoriè reo concedendus. & an conductus specialis possit concedi ab inferiore Judice. 151

An absenti petenti, & offerenti se ad probandam innocentiam, sit concedendus. 152.

An reo presentè & offerenti fidejussoriam cautionem sit concedendus salvo conductus, vel carcer relaxandus. 153.

Cur infirmo sit relaxandus carcer offerenti cautionem. 154.

Quid si Judicè ex actis constet, reum esse absolvendum. 155.

An virtute salvi conductus concessi, possit de novo impune delinquere offendendo adversarios. 156.

An Index alterius territorii possit transeuntem capere, si ceteroquin vi Jurisdictionis jus capiendi habet. 157.

Si salvo conductus concessus est cum clausula, donec res decisa fuerit, vel donec condemnatus fuerit, an securâ condemnationis possit statim incarcerari, vel expectandum decidendū appellatiōni datum. 158.

Quid si intra decidendū fugiat reus. 159.
Quomodo puniendus, qui violat securitatem per saluum conductum concessum. 160.

Sireus in Judicio delictum constitutus, an possit non obstante salvo conductu, in carcerari. 161.

Quenam sit obligatio fidejussorum datorum, ante concessum saluum conductum. 162.

An cautio fidejussoria possit omitti, si reus habet in immobilibus. 163.

Si nec in bonis habet, nec fidejussores habere potest, an recipienda cautio juratoria. 164.

An & quomodo condemnandi fidejussores, si reus consistit comparere in terminis juridici, comparuit tamen ad audiendum sententiam. 165.

An concedatur fidejussoribus, ut morem rei purgare possint. 166.

Quomodo procedendum ad Bannum per novam citationem, reo non comparente ad publicationem sententiæ definitivæ. 168.

An Salvus conductus prosit etiam familiæ ipsius rei quam secum ducit. 169.

An Salvus conductus intrinsece unius delicti concessus extendatur ad non expressa. 170.

An concessus generaliter ad delicta, extendatur ad futura. 171.

An re vocari possit salvo conductus, absque culpa assecurati. 172.

An salvo conductus expirat morte concedentis. 173.

Judex inferior specialiter prohibetur concedere saluum conductum in causa fractæ pacis publicæ. 174.

144. Modus evitandi Incarcerationem, & impune apud Judicem in causa criminali comparendi, est Fides publica, seu salvus conductus, ab eo concessus, qui concedendi habet potestatem. Quando enim Reus accusatus metu alicujus offensæ sibi vel ab inimicis, vel à Judice imminenti, ad tribunal venit detrectat, potest à Judice petere securitatem veniendi, quæ præviâ cautione illi concedi solet, ut à metu liber commodius se defendere in Judicio possit.

145. Duplex autem est Salvus Conductus: Unus Veniendi. Alter Recedendi. Et potest concedi solus Veniendi, vel simul etiam Recedendi. Et quidem spectato Jure communi quando datur salvus conductus Veniendi, censetur etiam inclusus Recedendi. Ut tradit Mynsinger cent. 1. obs. 82. in fine. Verùm, Jure Bavarico statutum est, quòd in factis notoriis & temerariis cuiquam salvus conductus veniendi & recedendi simul concedendus non sit, sed in iis tantum casibus concedi possit, in quibus quis innocentiam suam verisimiliter purgare potest, quod etiam affirmat Besoldus in thesaurio Juris.

Est autem hoc notabile discrimen: quòd si quis solummodo saluum conductum Veniendi habeat, ac proinde ad carceres deduci non possit, is post lapsos dies juridicos diutius quam Index ei permittit, in Bavaria non commoretur, aliàs ad carceres deducatur, & ibi donec finiatur processus, detineatur. Si quis autem tam veniendi quam recedendi saluum conductum habeat, is donec processus finiatur, in Bavaria securus degat, succumbens verò ex Bavaria recedat. tit. 5. a. 1. Deinde art. 3. habetur. Impetrans saluum conductum litteras salvi conductus Judici præfenter,

Gg 3 & diem

& diem Juridicam, quæ ipsi decernatur, petat, eademque die Juridicâ, accusatio ex inquisitione formata, & à Procuratore Fiscalis constituto exhibita, ipsi communicetur: quo factò 14. diem, vel ad summum trium septimanarum terminum, pro quo rursus dies Juridica decernatur, petere possit, sicque omnia in Judicio peragantur.

146. Hoc ergo Jure potest concedi salvus conductus Veniendi, absque salvo conductu recedendi, ut proinde verum non sit, quod tradit Carpvovius g. 112. n. 8. dicens, quòd salvus conductus veniendi nullum effectum operaretur, nisi implicaret se includeret etiam securitatem recedendi. Quamvis concedam, quòd quando non expressè limitatur solum ad veniendum, etiam extendendus sit salvus conductus, & interceptus ad recedendis, quia hæc videtur fuisse intentio petentis, & per consequens secundum eam intentionem concessus, ita etiam decet fidem Principum & Magistratum interpretari, ne fallaciter egisse videantur, quo pertinet illa Mauricii Elestoris Saxoniae querela seu replicatio, ad quasdam subtiles interpretationes Caroli V. adversus Landgraviæ Liberationem (ut ipse Carpv. refert) dicentis: *At ego tetanquam Imperatorem, non tanquam Legatum volo pactiones & federa interpretari.* Quibus verbis suppolluerat, non repugnare ex natura rei, concedi securitatem veniendi sine securitate recedendi.

147. Salvus conductus veniendi & recedendi dicitur *Generalis*, & hoc operatur, ut quolibet die Juridico Reus securè in Judicio comparere, ac inde recedere possit, imò eo claplo recedere debeat, sed cum securitate. Quapropter ulterius commorandi securitatem non habet. Ac proinde si citatus extra diem Juridicum ibidem inveniatur, in carcerem recipi potest, ex quo respondere cogatur. Neque audiretur accusatus, si exciperet, sibi hæc securitate satis cautè non esse in locis per quæ necessario cogitur transire ad locum Judicii, sibi enim imputet (inquit Jo. Zanger p. 2. c. 5. n. 26.) cur hoc à Judice, cujus in illis locis Juridicò est, vel à Superiore non petierit. Judex tamen, qui concessit securitatem, eam non solum in suo territorio, sed etiam in altero servare debet.

148. Monet insuper Carpvovius, nimis rigidum & severum futurum Judicem, si ob modicum temporis intervallum, intra quod reus pro sua & suorum, quos secum adduxit, alimentione, in diversorio vel alibi commoratur, statim ad compedes procedere vellet, cum tempus in dubio relinquatur arbitrio boni viri. Hinc observari solet, ut quovis die Juridico generalis salvus conductus securitatem per triduum ferre præstet, quorum primus est ad comparandum, alter ad discerpandum in judicio, tertius ad reced-

endum, nisi dies Juridicus ultra diem extendere-
tur, tunc enim & securitas extenditur. Et hæc de salvo conductu generalis.

149. Salvus conductus *Specialis* est, quando citato, præstita ab ipso cautione (de qua postea) plena datur securitas, sub publico Judicis sigillo, ut per totum tempus litis durantis liceat ipsi in loco Judicii inire suos commorari, & deliberare cum amicis & cognatis super defensione suæ innocentie. Cautio autem præstanda est, de stando juri usque ad determinationem litis, adeoque de *Judicio fisci*. De qua infra. Definit hunc salvom conductum Carpvovius n. 21. quòd sit Legitimum præsidium citato, præstita ab ipso cautione sufficiente, pro avertione periculi carceris, aut alterius offensæ à Magistratu concessum. Circa hunc salvom conductum,

150. *Queritur I.* A quonam concedi possit Salvus conductus. Rationem dubitandi præbet *lex 4. in fine ff. de Pœnis*, ubi dicitur: Et nemo potest commeatum, remeatumve dare exuli, nisi Imperator ex aliqua causa. Hinc multi Legistæ simpliciter statuunt, solum Principem supremum posse eum concedere. Verùm, *lex* adducta non est ad rem, loquitur enim de remissione & relaxatione pœnæ relegationis & condemnationis in certum locum, ut patet ex toto contextu, quod utique nemo alius potest præter Principem. Deinde in *Ordin. Carol. art. 156.* jubentur Judices eum concedere. Ergo supponitur posse ab aliis concedi.

Dicendum itaque est, ab omni illo Magistratu concedi posse, qui habet Meram Imperium, hoc est, qui in causis criminalibus judicare potest vi superioris Jurisdictionis. Ratio est, quia cui competit finis alienius procuratio, debent competere media necessaria ad illum finem: atqui ad judicandas causas criminales sæpè est necessarius salvus conductus. Ergo. Advertendum tamen est discrimen inter salvom conductum immediate à Principe concessum, & ab Inferiore: quòd qui lædit affectum à Principe, committit crimen læsæ Majestatis, non item offendens affectum ab inferiore, qui proinde mitius punitur.

151. *Queritur II.* An illi qui manifestè & notariè reus est, concedendus sit, aut etiam validè ab inferiore Judice concedi possit salvus conductus specialis. *R.* Negative. Ratio est, quia quando aliquod medium est inutile ad finem ad quem est unice ordinatum, non est prudenter possibile. Atqui quando delictum est notorium, salvus conductus non habet suum finem, qui est, ut cognosci possit an accusatus sit condemnandus vel absolvendus: jam enim constaret esse condemnandum, & in notoris non est opus servare Juris solemnitates: ergo imprudenter

ter concederetur salvus conductus. Unde merito inferit Felinus, quòd salvus conductus in tali casu concessus possit frangi & violari, quia concessio est nulla. Quod verum est, si reo possit constare, delictum esse ita notorium, ut nullâ tergiversatione celari possit. Sibi enim imputet, quòd noluerit advertere, in tali casu non posse concedi salvom conductum. Quodsi illi non constaret, sed spem haberet, se posse defendi, credo salvom conductum concessum, quantumvis imprudenter, esse servandum; privaretur enim injustè & per fraudem jure se subducendi, quod habet, ut supra probatum est.

152. *Queritur III.* An reo absenti & citato, ac salvom conductum petenti, sit concedendus, quando se offert ad innocentiam probandam, & Judex est dubius de reatu. *R.* Affirmative. Quia hoc exigit finis salvi conductus, qui est, ut possit reus sine offensa se in judicio defendere, & ideo non potest illi subtrahi remedium ad hoc necessarium. Alioquin sæpè innocens cogere tur manere suspectus de crimine, quod innocentibus est summè grave. Fidejussoria tamen cautio exigenda est, de qua infra.

Neque obstat, quòd captiva in atrocioribus delictis intuitu fidejussorum relaxari non possit ab inferiore Judice, cum fidejussor non possit obligari ad pœnam sanguinis. Nam alia ratio est in reo latitante, vel constituto in fuga, ita ut copia ejus aliis modis haberi non possit, tunc enim nulla ratio est cur ei denegandus sit salvus conductus, ut optime notat Carpvovius: imò imprudenter negaretur, quia omni medio possibili curandum est, ut de delicto vel innocentia constet per Judicium. Quæ ratio etiam procedit, quando Judex vult inquisitorie procedere, ut consideranti facile liquet.

153. *Queritur IV.* An Reo præsentem, & cujus copia haberi potest, vel qui jam est incarceratus, petenti salvom conductum, aut carceris relaxationem, oblatâ fidejussoria cautione, sit concedendus salvus conductus, vel carcer relaxandus. *R.* In delictis atrocibus neutrum rectè fieri. Ità communiter omnes DD. Ratio redditur ex dictis. Quia per fidejussores non est satis cautum, quo minus judicium eludi possit, quandoquidem fidejussor non possit le ad pœnam corporalem obligare, nec ut sic obligatus conveniri aut puniri, si reus forè fugiat. Aliud est in levioribus delictis, pro quibus vel pœna pecuniaria, vel carceris, aut relegationis imponenda esset; quia pœna carceris & relegationis potest à Judice in pecuniariam commutari, quæ sic applicetur. Colligitur ex *lego 3. ff. de Custodia reorum* ibi. [Divus Pius scripsit, non esse in vincula conjiçendum eum, qui fidejussores dare paratus est. Nisi tam grave scelus admisisset cum

constet, ut neque fidejussoribus, neque militibus committi debeat.] Quodsi reus haberet bona immobilia allodialia, & non litigiosa, in territorio inquisitoris, ne quidem fidejussoria cautione opus esset, ut patet, quia in bonis possit pœnæ executio fieri.

154. Dices. Allata ratio videtur nimium probare, nempe quòd neque infirmo esset carcer relaxandus, datis fidejussoribus de Judicio fisci, hoc autem est contra omnem humanitatem, si infirmitas talis sit, quæ in carcere curari non possit. *R.* Negando pariter, quia infirmus (Medicorum Judicio desuper auditò) potest extra carcerem custodiri satis securè, nec est periculum ut fugiat, satis ipso morbo vinculatus. Quodsi fraus subisset, & fidejussores essent fraudis conscii, forè quòd postea per consanguineos aut amicos sit Judicio subducendus, tunc equidem ob hujusmodi fraudem possent fidejussores etiam corporaliter puniri, instar eorum, qui carcerem effingerent, aut alio dolo reum inde liberarent.

155. Sed, quid si Judici ex actis jam moraliter constet reum esse absolvendum, & innocentem declarandum? *R.* Hoc casu possit carcerem relaxare, etiam si de crimine atroci inquireretur, sub cautione fidejussoria, ut tradit *Clarus g. 46. n. 10.* quod tamen Judicis prudentiæ relinquendum est, quando forè speraret nova indicia contra reum. Talis enim relaxatio habet hunc effectum, ut ob idem crimen non possit de novo incarcerari, nisi supervenientibus novis indiciis. Addit idem Auctor, malè agere quosdam Judices, severitatis gloriam affectantes, & retinentes in carcere illos, de quibus dubitant, an forè nova indicia superventura sint. Rectius enim agerent, in tali dubio sequendo magis faventem partem, ne subditos sine necessitate gravent impensis. Denique cavere jubet Judicem, ut idoneos fidejussores recipiat, vel illis petat addi fidejussores securitatis, seu reflexos fidejussores, seu approbatores, qui sint plerumque solvendo, alioquin Judex tenebitur in Syndicatu, ut ipse solvat loco fidejussorum.

156. *Queritur V.* An virtute salvi conductus concessi, possit reus in territorio concedentis impunè de novo delinquere, v.g. offendendo suos adversarios. *R.* Negative. Ratio est, quia solum conceditur contra vim facti, quæ redditur illicita, non contra leges alias; & ideo solent instrumentis & litteris salvi conductus inferi hujusmodi Clausula: *Damus tibi pacem & securitatem contra vim injustam, ita tamen ut vicissim tu quoque pacificum & modestum te exhibeas.* Et utique locum habet Regula: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et regula *Juris 38. in 6.* *Ex eo non debet quicquid fructum consequi, quod nisi existit impugnare.*

157. **Queritur VI.** An sicut vigore Salvi conductus concessi, Judex concedens non solum non potest eum capere in suo territorio, sed neque facere capi in alieno, ita nec Judex alterius territorii, per quod forte reus vagatur aut transit, possit eum capere, si ceteroquin vi suae Jurisdictionis Jus habet eum capiendi. *Res.* Negative, nam alteri Jurisdictioni non potest quidquam per Salvum conductum ab alio Magistratu praecipere salvi conductum. Quapropter, ut reus etiam in altero territorio securus esset, deberet ab illius territorii Magistratu, vel à Superiore, habente Imperium in utroque territorio, impetrare salvi conductum.

158. **Queritur VII.** Si salvus conductus fuit concessus cum hac clausula & restrictione: *D. nec per sententiam res decisa fuerit: vel: Donec in penam condemnatus fuerit: an secuta sententia condemnationis possit reus statim incarcerari (si quidem secluso salvo conductu incarcerari posset exigente natura delicti, & admittente personae conditione) vel an expectandum sit, donec lapsa decennio transeat sententia in rem judicatum. Ad hoc respondet Carpovius cum distinctione inter Processum Inquisitorium, & Ordinarium. In processu Inquisitionis (ubi, ex consuetudine hodie, appellatio non admittitur, de quo infra) Judex statim potest eum incarcerare, & sententiam executioni mandare. In processu Ordinario vero & per viam accusationis, ubi sententiae executio per Appellationem suspendi potest, nec ante decennium transit in rem judicatum, durat salvi conductus usque ad lapsum decennii.*

159. Sed quid si reus, tenorem sententiae intelligens, fugiat? Responder cum Mollero Carpovius, suspicionem fugae excludi per fidejussionem praestitam: & in omnem eventum Judici contra non comparentem vel fugientem iis remediis utendum esse, quibus uti posset, si ab initio denegata foret securitate Reus ipse non comparuisset. Quare fuga intra decennium, concessum ad appellandum, non posset per incarcerationem impediri. Interposita autem appellatio sicut sententia suspenderetur, ita salvi conductus continuaretur; nam appellatio interposita nihil est innovandum.

160. **Queritur VIII.** Quae pena afflicendus sit, qui violat securitatem per salvi conductum concessam. *Res.* Si immediate à Principe supremo est concessus, puniendus est poena Laesa Majestatis, ut habetur l. 1. ff. ad L. Jul. Majest. quae non est extendenda ad lesionem ab inferioribus Majestatem non habentibus concessi salvi conductus, nisi nomine Principis concessus esset. Quamvis autem poena sit laesa Majest. supra dictum est.

161. **Queritur IX.** Si reus habens salvi conductum, in Judicio delictum confessus fuerit,

an non obstante Salvo conductu possit in carcerem conjici, & lata sententia puniri. *Res.* Affirmative. Ratio est, quia Salvus conductus eatenus solum conceditur, quatenus quis innocentiam suam asserit, eamque à se defendi posse contendit: hac ergo conditione deficiente cessat vis & utilitas salvi conductus. Aliter se res habet, si fuit solum convictus & non confessus, nec in salvo conductu posita est clausula de qua in quarto. 7. dictum.

162. **Queritur X.** Quamvis sit Obligatio fidejussorum per quos à reo cautum fuit, atque illi salvi conductus concederetur. *Res.* Obligari ad Reum Judicio sustinendum, ut iudicio finito, lataque sententia condemnatoria, poena possit executioni mandari, & hoc vel sub summa poenae pecuniariae, quae plerumque solet in ipso fidejussionis actu taxari, vel arbitrariae Judicis, si nulla taxata est. In qua taxatione consideranda sunt circumstantiae delicti, personarum, & maxime periculi fugae, & inconvenientium inde secutorum.

163. **Queritur XI.** An haec cautio possit omitti, si reus tantum habet in bonis immobilibus, quanta esset summa in quam fidejussores condemnandi essent. *Res.* Affirmative, juxta regulam Juris 25. ff. de R. J. quod plus cautionis sit in re, quam in persona. Ratio ulterior est, quia fidejussores hodierno Jure (ut alibi dictum tractatu. 9. c. de fidejussorib.) conveniri non possunt, nisi prius excoeso Principali. Si ergo constat, ex hujus bonis posse tantum haberi, quantum tenerentur fidejussores, hoc sufficere, nisi bona essent litigiosa, vel essent alia incommoda aut impedita, quo minus seculo periunde esset, illa bona possidere, ac habere fidejussores; quod proinde Judicis arbitrio relinquendum erit. Debet tamen prius in illis bonis hypotheca Judicialis constitui, & litterae hypothecae Judicis insinuari.

164. **Queritur XII.** Si reus neque bona immobilia habeat, neque fidejussores idoneos habere possit, an cautio juratoria sit recipienda. *Res.* In levioribus delictis, si quidem accusatus non sit valde gravatus, putat Carpovius posse recipi, & sic salvi conductum concedi, in delictis autem gravioribus negat ipse & alii DD. esse recipiendam, nec recipi posse à Judice inferiori, quando quidem Jura fidejussorum requirunt, nec usquam arbitrio Judicis committitur.

165. **Queritur XIII.** Si reus, qui obligatus est, toties comparere personaliter quoties citatur, adeoque in singulis terminis iudicis, si forte emanent in terminis prioribus, sistat scilicet ad audiendam sententiam, an nihilominus ob priorem inobedientiam fidejussores in summam taxatam sint condemnandi, & per consequens, in tot summas sint condemnandi, quoties eman-

emanant. Scabini resolverent negative, adeoque, si ad audiendam sententiam comparuit, e-runt fidejussores securi: si tunc non comparuerit, in unam tantum summam condemnabuntur. Ratio est, quia finis fidejussionis est, ne Judicium eludatur: atqui non eludatur si reus compareat ad respondendum, & ad audiendam sententiam, etiam si in aliis actibus non comparuerit. Ergo, cum fidejussores solum adhibiti sint, ne Judicium eludatur, non sunt condemnandi nisi ratione illius emanationis, per quam elusorium sit Judicium.

166. **Queritur XIV.** Si Reus elapso termino praefixo non comparuit, an statim ipso facto commissa sit poena, vel concedatur fidejussoribus, ut moram purgare possint. *Res.* Admitti ad morae purgationem per legem 26. C. de fidejussorib. Sancimus, si quis pro alio sponderit, quatenus cum intra certum tempus tradat, vel certam quantitatem pro eo inferat, & tempore statuto jam effluente non poterit eum praesentare, non statim pecunias pro eo stipulatas inferre, sed competere quidem post temporis lapsum omnimodo poenalem actionem, non autem statim summam pro qua fidejussor admissus est, profligari. Sed, si quidem usque ad sex mensium spatium (ex causa) tempus statutum sit, aliud tantum ei indulgeti sancimus, intra quod si possit personam exhibere, & eam tradere, poena sit liberatus. Sin autem amplius quam sex mensium tempus ab initio constitutum est, tunc quantumque temporis curricula data sunt, tamen post lapsum eorum semestres tantum habere eum inducias, intra quas sit et licentia personam & non pecunias reddere. Sin autem & secunda adjectio temporis excedat, tunc omnimodo poenam pecuniariam persolvat. Ex qua lege apparet, non universum indulgeri alium terminum priori aequalem, (prout dicit Carpovius n. 129.) sed solum, quando prior terminus non excedit sex menses.

167. **Queritur XV.** Si poena cautionis à fidejussoribus soluta est, & reus se non sistit, sed abesse pergit, an possit nihilominus accusator pergere in accusando, usque ad sententiam Banni vel proscriptionis. Ratio dubitandi est, quia videtur iniquum, idem crimen duplici poena puniri, civili & criminali. Hoc tamen non obstante, tenenda est affirmativa, ne scilicet delicta maneant ad sufficientiam impunita.

Ad rationem dubitanti respondet Carpovius, quod poena in cautione conventa & promissa à fidejussoribus, magis intelligitur concernere contumaciam fidejussorum, non sistendum vel exhibendum reum, quam quod plectat ipsum crimen facinorosum, quod hoc casu puniendum adhuc testat. & sane iniquissimum esset,

grave & atrox crimen poena tantummodo pecuniaria coerceri, cum poena Corporalis etiam minima major sit quancunque alia pecuniaria quantumvis magna. Ita Carpovius. Quae tamen responsio mihi difficilis est. Quia etiam si fidejussores absque omni contumacia & culpa reum non sisterent, quia eum habere non possunt, decepti ab ipso reo, non propterea liberi essent à pecunia conventa solvenda, ergo proprie loquendo non solvitur illa pecunia ut poena: nam ubi nulla est culpa, nulla est poena. Deinde illi habent regressum adversus principalem pro quo fidejussurunt. Itaque non est poena proprie dicta, sed improprie, & conventionalis, & potius solvitur ex contractu stipulationis. Neque intentio Judicis fuit, ut fieret novatio per hanc obligationem pro poena principali debita. Manet ergo adhuc principalis impunitus à Judice, & consequenter ob culpam suam adhuc est puniendus. imò etiam ex hac solutione aliquam poenam pateretur, eam pateretur ob novam culpam, quae fallit fidejussorem.

168. Illud tamen ex eodem Auctore addendum & notandum est, quod Reo, cui securitas sub cautione concessa fuit, in termino publicationis definitiva sententiae faciendae non comparente, non statim ad Bannum sive proscriptionem procedatur, sed peculiaris citatio processum hunc praecedere debeat per edicta publica ad audiendum, quomodo ad Bannum contra eum agatur.

169. **Queritur XVI.** An Salvus conductus prodest etiam familiae ipsius rei, quam secum ducit, ita ut nullus illorum offendi possit, sicut Principalis. Responder Menochius, & ex eo Gilhusius c. 3. p. 1. affirmative. Nam privilegium datum personae, extenditur etiam ad ejus familiares. Verum, hoc ego puto intelligendum de illis, qui non sunt alicujus criminis rei. Nam alioquin possent sub praesidio intentionis plures criminosi venire, quod non est ex intentione concedentis salvi conductum.

170. **Queritur XVII.** An salvi conductus intuitu unius delicti accusati vel inquisiti concessus, extendatur etiam ad alia ejusdem rei delicta non expressa. Responder Gilhusius, extendi ad delicta minora illo quod est expressum, pro quo citat Baldum. videtur enim haec esse intentio concedentis.

171. **Queritur XVIII.** Si Salvus conductus fuit generaliter pro omnibus delictis concessus, an extendatur etiam ad delicta futura. *Res.* Negative: adeo ut ex novo delicto salvi conductus concessus infringatur, nec etiam quoad praecedentia delicta servandus sit, ut etiam supra insinuavi. Quia sub hac lege concessus intelligitur, ut reus se modestè gerat; quare frangenti

H h idem

fidem fides servanda non est. Quod autem fidem non servet, inde deducitur, quia per novum delictum offendit Rempublicam, adeoque & illum à quo ut representante Rempublicam salvas conductus confessus illi est.

172. Quæritur XIX. An ex aliqua superveniente causa, quæ absque culpa a securati emergit, possit revocari Salvus conductus confessus. Ad hoc dubium respondet affirmativè illudque exemplificat Magalorus, de salvo conductu p. 4. commemorat enim exemplum Ducis Mediolanensis, qui offiderat seu a securaverat bannitos alienigenas, & dubitatum fuit, an superveniente bello, (& sic nova causa) ob quod de bannitorum fide racionabiliter poterat dubitare, ipsi Duci liceret Salvos conductus revocare, & conclusum fuit, posse.

Accuratius tamen, meo iudicio, respondet Farinacius q. 29. n. 64. Possè quidem Salvum conductum revocari, sed absque revocationis notificatione non posse a securatum capi, sub prætextu novæ causæ supervenientis: hoc enim ini-

quissimum esset, nec Jura permitunt, nec rationes probant.

173. Quæritur XX. An Salvus conductus expiatur morte concedentis, vel si ejus iurisdicção finiat. Assumat absolute Gillbadius, Quod tamen, meo iudicio, solum verum est, re adhuc integrâ, & quamdiu a securatus non est illo usus, nec in loco comparuit. Nam si jam comparuisset, iniquissimum esset, si à Successore incarcerationetur.

174. Denique advertendam est, quod Judex inferior specialiter prohibetur concedere salvas conductum in causa fractæ pacis publicæ, hoc enim solius iudicis Camerali, nomine Imperatoris & Statuum Imperii, permillum est. Ord. Cam. parte 1. tit. 10. ibi. [Simul & cum ista citatione, suspecto, nostro loco, & sacri Romani Imperii nomine, salvas conductu pro se ac suis quibuscumque, quos ad eum diem secum adduxerit, indifferenter, & absque fraude dictâ diem ad eundem, & ab ea recedendo, ad loca sua tuta præstabit in Scriptis.] Et hæc de Salvo Conductu.



CAPUT VI.

DE EXAMINE, ET RESPONSIO- NIBUS REI.

175. Priusquam ad Crimini inquisiti vel accusati probationes procedatur, videndum est, an spontanea Rei confessio haberi possit, ne in examinandis testibus inutilis mora trahatur. Nam sicut convictus, ita & confessus condemnari potest cum Confessio judicialis & legitimè obtenta, sit probatio probata, & efficacissima, iuxta Evangelicè illum servu, cui dictum est: *Ex ore tuo te iudico serve nequam.* Et si reus ex probationibus condemnaretur, non explorata prius ejus confessione, Juris ordo inverteretur, quia reus inauditus condemnaretur, quod est contra omnia Jura, quæ continentur in titulo Digestorum & Codicis: de requirendis Reus & c. i. de causa possess. dicitur: *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire. Quin*

& apud Judæos hæc erat lex inviolabilis, Jo. 7. dicente Nicodemo, & iniquos Judices redarguente. *Nunquid & lex nostra iudicat hominem, nisi prius audiverit ab ipso, & cognoverit, quid faciat?* Ratio ulterior est, quia etiam si probatum esset, commissum esse à Petro homicidium, adhuc tamen incertum est, an sit inexcusable, & ideo Justitia requirit, ut audiatur reus, an possit factum defendere & exculpate, prout Romani supponebant, testante Porcio Felso act. 5. *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, ut pereat, priusquam is qui accusatur, præsentibus habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda Crimina, quæ ei obijciuntur.*

CONTROVERSIA I.

Quomodo formandi sint Articuli Inquisitionales.

SUMMARIUM.

Quomodo debeat interrogatio esse articulata. 176. Articuli super illis tantum formandi sunt, de quibus indicia verisimilia præhabentur.

177. Hinc non sunt rei interrogandi generaliter, an consueverint tale crimen committere. 178. Non sunt ponenda plura interrogatoria in uno eodemque articulo. 179. Quandoque expedit idem interrogatorium diversis verbis repetere. eod.

176. Dicendum I. Interrogationem debere esse articulatam, hoc est, singula facta ad rem pertinentia, singulasque facti qualitates & circumstantias, certis, clatis, & rotundis articulis includendo, & desuper reum examinando. Hæc conclusio est aliquo modo de jure nature: hæc enim accuratio in examinando, est universaliter loquendo in causa gravissima, qualis est criminalis; necessaria, ne per confusam examinationem iudicium reddatur intricatum, & periculum sit, ne vel veritas supprimatur, vel innocens gravetur, quod periculum non abesset in perfunctoria & confusa interrogazione.

177. Dicendum II. Crimina, de quibus antecedenter ad inquisitionem specialem Judex nihil est informatum, non sunt articulis inferenda, sed super illis tantum factis formandi sunt, de quibus indicia verisimilia præhabentur. Ita habetur expressè in Ord. Crim. Carol. art. 20. Et quamvis articulus iste loquatur de examine faciendo in tortura, eadem tamen est ratio de antecedente examine.

178. Hinc male ageret Judex, si Reum accusatum de furto v.g. examinaret generaliter interrogando, an sit solitus committere furta? sed in specie, seu, ut Logici loquuntur, in individuos, an commiserit hoc furum, in tali loco & tempore, in tanta quantitate. Ratio est, quia generalis illa & confusa interrogatio, extenderet se ad furta de quibus nulla existant indicia. Et insuper ratione furti inquirendi & accusati, præcluderetur reo via preparandi suas defensiones. Imò, etiam si coniteretur se sæpe aliàs furatum esse.

179. Dicendum III. Non sunt ponenda plura Interrogatoria in uno eodemque articulo. Ratio est, quia per hoc etiam graviter decipi posset inquisitus, qui respondendo fortè ex simplicitate ad unum interrogatorium affirmativè, notaretur in Actis quasi totum articulum confessus esse.

179. Dicendum IV. Quandoque expedit, unum idemque interrogatorium aliis & aliis verbis repetere, dummodo id non fiat captiosè ad reum involvendum, & ejus verba in sensum à genuino alienum interpretando, sed in eum finem, ut eò magis constet de responsionis conformitate, vel variatione, quorum primum proderit reo; alterum nocet, quia potest variatio viam aperire ad torturam, si adsint cætera requisita.

se, hæc non esset confessio illius furti de quo hic & nunc accusatus est. Simili modo inepta esset interrogatio, an vulneratus (ponamus quòd se vulnerabile confessus sit) ex vulnere decesserit. Nam vel reus responderet affirmando: Et hæc confessio nihil probaret, quia hoc ipse certò scire non potest, sed debet constare per inspectionem vulneris, ut constet de corpore delicti. Vel responderet se nescire, & sic respondendo perinde est, ac si non fuisset interrogatus. Uno verbo, illa interrogatio, cum eò tendat, ut reus confiteatur homicidium, & inde possit condemnari, viam sternit ad iniquam sententiâ ferendam, præcludendo reo viam defendendi se, quòd vulneratus non ex vulnere decesserit. Et hoc modo peccasse plures Judices Mediolaniæ fecit Signorolus, dicens esse modum examinandi Diabolicum ut refert Clarus q. 45. n. 11.

179. Dicendum III. Non sunt ponenda plura Interrogatoria in uno eodemque articulo. Ratio est, quia per hoc etiam graviter decipi posset inquisitus, qui respondendo fortè ex simplicitate ad unum interrogatorium affirmativè, notaretur in Actis quasi totum articulum confessus esse.

179. Dicendum IV. Quandoque expedit, unum idemque interrogatorium aliis & aliis verbis repetere, dummodo id non fiat captiosè ad reum involvendum, & ejus verba in sensum à genuino alienum interpretando, sed in eum finem, ut eò magis constet de responsionis conformitate, vel variatione, quorum primum proderit reo; alterum nocet, quia potest variatio viam aperire ad torturam, si adsint cætera requisita.

CONTROVERSIA II.

Quà ratione ad articulos respondendum sit Reo.

SUMMARIUM.

Responsiones extrajudiciales non habent vim confessionis. 180. An exigendum juramentum de dicenda veritate. 181. Redditis responsionibus potest iudex ad articulos de novo formatos exigere responsionem. 182. Quid si reus antecedenter neget crimen, an omitti propositionibus possit procedi ad probationes, si verò juretur, ad sententiam condemnatoriam. 183. An liceat interrogantibus impergere minas. 184.